



Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XL. Litteræ Guillelmi de Lauduno Archiepiscopi Tolosani, quibus
potestatem facit Presbyteris Collegij Narbonensis apud Tolosam fundati
audiendi confessiones scholasticorum ejusdem Collegij, eisque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

X L.

Litteræ Guillelmi de Lauduno Archiepiscopi Tolosani, quibus potestatem facit Presbyteris Collegij Narbonensis apud Tolosam fundati audiendi confessiones scholasticorum ejusdem Collegij, eisque administrandi sacramenta ecclesiastica.

Ex archivō Collegij S. Martialis Tolosae.

F RATER Guillelmus miseratione divina Archiepiscopus Tolosanus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Dudum Reverendus in Christo Pater Dominus Galsbertus Dei gratia olim Arelatensis nunc Narbonensis Archiepiscopus, pia consideratione motus, domum quandam diversas continens mansiones, cum suis viridariis, quam Tolosæ in carreria de Balatis acquiri & emi fecerat ad usum & sustentationem duodecim pauperum scholarium ibidem instituendorum, constituit ac etiam deputavit, quodque in domo eadem Capellam unam perpetuam ad laudem & honorem divini nominis, ac præcelsæ Dei genitricis Mariae semper virginis, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Trophimi dictæ Arelatensis Ecclesiæ patroni, de nostri licentia construxit & fundavit, statuens & ordinans quod duo ex dictis scholaribus sint Presbyteri pauperes & dociles, qui Missas singulis diebus continuè alternis vicibus pro salute vivorum & requie defunctorum celebrant in Capella prædicta, ut ipsi Presbyteri & scholares prædicti

dicti Missa non careant ullo die. Verum cum ipse
Dominus Archiepiscopus nobis cum instantia sup-
plicaverit quatinus Arnaldo de Vaxeria & Gasberto
de Sapriano Presbyteris in dicta domo
jam institutis & successoribus eorum ibidem pro tem-
pore instituendis confessiones audiendi necnon li-
centiam ministrandi dictis scholaribus ecclesiastica
sacramenta concedere dignaremur. Nos igitur atten-
dentes tam pium opus per saepedictum Dominum
Archiepiscopum Deo fore gratum & acceptum, sup-
plicationi hujusmodi dicti Domini Archiepiscopi fa-
vorabiliter annuentes, prefatis Arnaldo & Gas-
berto Presbyteris in dictis domo & Capella jam in-
stitutis & eorum cuilibet & successoribus suis Presby-
teris ibidem pro tempore instituendis praedictas con-
fessiones audiendi, & eadem sacramenta ministran-
di, dictisque scholaribus & eorum servitoribus ea
ab ipsis Presbyteris recipiendi auctoritate ordinaria
perpetuis temporibus concedimus potestatem. In cu-
jus rei testimonium praesentibus litteris sigillum no-
strum duximus apponendum. Datum in castro no-
stro de Balmario die III. mensis Junij, anno Domi-
ni millesimo CCCXLV.

Vide Catellum in Memoriis Historiae Occitanicae
pag. 226.

